

- qui scire posses aut ingenium noscere,  
dum aetas metus magister prohibebant? *SO.* itast.)
- 55 *SI.* quod plerique omnes faciunt adulescentuli,  
ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos  
alere aut canes ad venandum aut ad philosophos, 30  
horum ille nil egregie praeter cetera  
studebat et tamen omnia haec mediocriter.
- 60 gaudebam. *SO.* non iniuria; nam id arbitror  
adprime in vita esse utile, ut nequid nimis.  
*SI.* sic vita erat: facile omnis perferre ac pati; 35  
cum quibus erat quomque una īs sese dedere,  
ēorum obsequi studiis, adversus nemini,
- 65 numquam praeponens se illis; ita ūt facillume  
sine īvidia laudem invenias et amicos pares.  
*SO.* sapienter vitam instituit; namque hoc tempore 40  
obsequium amicos, veritas odium parit.
- SI.* interea mulier quaedam abhinc triennium  
70 ex Andro commigravit huc viciniae,  
inopia et cognatorum neglegentia  
coacta, egregia forma atque aetate integra. 45  
*SO.* ei, vereor nequid Andria adportet mali!
- SI.* primo haec pudice vitam parce ac duriter  
75 agebat, lana ac tela victum quaeritans;  
sed postquam amans accessit pretium pollicens  
unus et item alter, ita ut ingeniumst omnium  
hominum ab labore proclive ad lubidinem, 50  
accepit condicionem, de(h)inc quaestum occipit.
- 80 qui tum illam amabant forte, ita ut fit, filium  
perduxere illuc, secum ut una esset, meum.  
egomet continuo mecum "certe captus est": 55